

ANALYSIS PSAL-
MI XIX.

AD
QUAM,

In publica consuetudine,

DOMINO JESU BENEDICENTE,

Præside

REVERENDO ET DOCTIS-
SIMO VIRO, DN. GEORGIO PASO-

RE, SACRARUM LITERARUM IN ILLU-
stri Scholâ Nassovicâ Herborenfi Professore
ordinario, & præceptore suo hono-
rando, respondebit

PHILIPPUS TEXTOR, Herborn.
Nassovicus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM,

Ex officina typographica Christophori Corvini.

[um 1610-15]

AMPLISSIMO, CONSULTISSI-
MOQ. VIRO, DN. BERTHOLDO SHO-
REIO, J. U. D. ILLUSTRIS AC GENEROSIS-
simo Comiti, Dn. Wilhelmo Ludovico, Comiti in Nassau Ca-
tzenelenbogen &c. à consiliis, Domino & patrono suspici-
endo:

NEC-NON

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO:

DN. JOHANNI JACOBO HERMANNI, ILLUSTRIS
hujus Scholæ Prorectori magnifico, Ecclesiæ Herbornensis
Pastori, reliquarumque Ecclesiarum Inspectori vigilantissimo,
Mæcenati reverenter colendo:

ET

PRÆSTANTISSIMIS VARIAQUE
RERUM POLITICARUM SCIENTIA EX-
perientissimis viris,

DN. PHILIPPO RHODINGIO, celsissimi Cattorum Prin-
cipis Consiliario & Quæstori Wetterano, Domino & benefa-
ctori observando.

DN. JODOCO PETRI, Reipublicæ Tridorffianæ Scribæ, ami-
co amicissimo.

DN. Wilhelmi Heugeln/ civi Wetterano, ejusdemque Reipublicæ
Senatori dignissimo, avunculo suo suavissimo

Hanc analysin dedicat dicatq,

RESPONDENS.

PSALMUS XIX. LATINE
VERSUS.

Moderatori *Musica*, Psalmus Davidis.

2 Cœli enarrant gloriam Dei, & eos esse opus manuum ejus significat extensio eorum.

3 Dies ad diem eructat sermonem; & nox nocti patefacit scientiam.

4 Nullus est sermo, nullaque sunt verba: in quibus non audiatur vox eorum.

5 In omnem terram exivit linea eorum, & in extremitatem globi terrestris verba eorum: Soli posuit tentorium in eis.

6 Et hic tanquam sponsus prodit ex thalamo suo, & gaudet, tanquam robustus bellator ad conficiendum iter suum.

7 Ab extremitate unâ cœlorum egressus ejus, & revolutio ejus versus easdem eorum extremitates: nec est res, quæ abscondatur à calore ejus.

8 Doctrina Domini est perfecta, facit ut anima revertatur à malo ad bonum: testimonium Domini est verax, sapientiam afferens imperito.

9 Præcepta Domini sunt recta, verè exhilarant cor: mandatum Domini est purum, illuminans oculos.

10 Timor Domini est purus, permanens in perpetuum: Judicia Domini sunt ipsa veritas: & deprehenduntur justa pariter.

11 Digna sunt quæ desiderentur magis, quàm aurum, & quidem aurum purgatissimum; dulciora sunt melle, & quidem acceto melle.

12 Etiam servus tuus commonefit istis: dum observat illa judicia, proventus copiosus ad eum redibit.

13 Nam errores quis intelligat? Ab occultis peccatis purga me.

14 Etiam prohibe à superbiis servum tuum, ne dominantur mihi; tunc perfectus ero, & vacuus transgressione crebrâ.

15 Sint accepti sermones oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo, Domine, qui es rupes mea, & redemptor meus.

ANALYSIS LOGICA.

I.

THema in hoc Psalmo est unicum simplex de *cognitione Dei*, quod explicatur à *partibus*.

II.

Partes ejus duæ sunt; una est cognitio Dei à nobismet acquisita, à *ψ. 2.* usq; ad 8. altera hausta ex Scripturis, à *ψ. 8.* usq; ad finem.

III.

Prior declaratur à *causis adjuvantibus impellentibus* tribus, quæ sunt: cæli, tempus, videlicet dies & nox, & sol.

IV.

Prima *causa adjuvans* exponitur, *ψ. 2.* à *fine*: Cæli ordine enumerant gloriam Dei (*per metonymiam effecti*) h. e. hominem impellunt, ut de architecto tantæ machinæ cogitet, idque in eum *finem*, ut tam admirabilem opificem laudet & honoret.

V.

Altera est, *ψ. 3.* nox & dies, quæ per *metaphoram* à fontibus desumptam, & *metonymiam effecti* dicuntur eructare sermonem, hoc est, facere ut homines de temporum vicissitudinibus, & variis in illis actionibus colloquantur; Dei que creatoris & gubernatoris omnium rerum, sapientiam & potentiam laudent.

VI.

ψ. 4. Prima *causa* impellens illustratur hinc à paribus: Cælum tot sermonibus loquitur, quot sermonibus loquuntur populi in terrâ.

VII.

ψ. 5. Explicatur hic sermo cælorum à *subjecto* recipiente: Linea cælorum, hoc est, Scriptura (*per synecdochen generis*) vel, ut Græca versio habet; Sonus eorum (Rom. 10. *ψ. 18.*) prodit ad extremas terræ oras.

VIII.

ψ. 5. 6. Sol, tertia *causa* impellens exponitur à *causa procreante, subjecto* orbe, & duobus *similibus*, videlicet sponso & heroë bellico. Ut hic ex tentorio suo, & ille ex thalamo prodit: ita Sol ex unâ orbis parte in aliam.

IX.

IX.

V.7. Ab *effectis* duobus, nempe motu & calore, quorum illud *sub-*
jecto loco; hoc *subjecto recipiente ad se* amplificatur. Calor Solis afficit omnes
 inferiores creaturas: ipsa terræ viscera penetrat.

X.

V.8. Sequitur *pars* altera, videlicet cognitio Dei hausta ex Scriptu-
 ra, quæ hoc versu declaratur à duobus *adjunctis* & *effectis*. *Adjuncta* sunt
 perfectio & veracitas. *Effecta*, animæ conversio, eruditio in sapientiâ,
 hoc est, cognitione Dei.

XI.

V.9. à totidem *adjunctis* & *effectis*. *Adjuncta* sunt, rectitudo & puri-
 tas: *effecta*, consolari & illuminare, quæ ei tribuuntur, tanquam organo
 Spiritus sancti.

XII.

V.10. ab *effecto*, nempe timore Dei, & *adjunctis* duobus, quæ sunt
 veritas & justitia.

XIII.

V.11. Comparatur impariter cum auro & melle, tanquam *mi-*
noribus.

XIV.

V.12. Declaratur ab *effectis* duobus, (1) Davidis commonefactio-
 ne. (2) Benedictione Dei.

XV.

V.13. Commonefactionis istius indicantur *effecta* alia duo. 1. Con-
 fessio peccatorum. 2. Invocatio nominis divini.

XVI.

Invocationis *objectum* triplex indicatur: David à Deo petit (1) re-
 missionem peccatorum, etiam sibi met ignotorum, (2) gubernationem
 per Spiritum S. (3) acceptationem precum suarum, ex vera fide in Chri-
 stum profectarum, *ψ. 13. 14. 15.*

OBSERVATIONES.

I.

Ex *ψ. 1.* Gloria Dei est summus hominis finis. Hanc gloriam,
 qui naturæ ceu deæ acceptam ferunt, à fine suo aberrant. Licet Deus
 plerumq; causis utatur secundis, tamen vult, ut sibi soli omnem lau-

dem adscribamus. Pari ratione (Psalm.8.) *ex ore lactentium paravit Deus sibi laudem, non natura.*

II.

Ex v.3. Nova quæ quotidie experimur vel audimus, ut sunt terræ motus, temporum varietas, tempestates, grandines, incendia, cometæ, item bella &c: nihil aliud sunt, quàm divine providentiæ executiones. Quas qui non considerat, Dei quæ potentiam, justitiam, bonitatem & sapientiam ex his actionibus resplendentem non celebrat, à fine suo exorbitat.

III.

Ex v.5. Nulla gens est tam barbara, cujus animo non insideat hæc persuasio, esse Deum. Nam Deus & rationis lumen in singulorum animis accendit, & innumeras creaturas, tanquam divinæ suæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis testes (Actor.14. v.17.) ob oculos nostros ponit. Omnes creaturæ magistra nostra sunt, modò nos parati simus ad discendum, Esa.1. v.3. Proverb.6. v.6. Jerem.8. v.7. Johan.15. v.1.2. Psalm.1. v.3. 1. Cor.15. versu 36. &c.

IV.

Ut liber naturæ; ita etiam sub finem mundi, liber scripturæ omnium populorum linguis perfonat, Rom.10. v.18.

V.

Ex v.6. Similitudines & parabolæ omnes, sine quibus Servator loqui noluit, (Matth.13. v.34.) ad librum hunc naturæ pertinent. Et hæ sunt veri libri laicorum, veræ imagines, non à Papa, sed ab ipso Deo nobis traditæ. Ut hîc Sol cum sponso: ita alibi sponsus Ecclesiæ Christus comparatur cum Sole, Matth.4. v.2. & Ecclesia sponsa cum Lunâ. Cantic.6. v.7.

VI.

*Ex v.7. Ex admirabili Solis motu, luce, calore, &c. Dei opificis elucet sapientia, omniscientia, potentia & bonitas. Oculum Solis nemo effugere potest, quantò minus Dei obtutum? Sol est clarissimus, purissimus: at collatus cum Deo est mera impuritas & caligo, Job 25. v.5. Ut solem nemo videt sine sole: ita nec Deum quis agnoscit sine Deo, Jobi 36. v.26. & 37. v.21. Sol è abeunte, omnia q. moriuntur; eodem redeunte circa ver, omnia q. reviviscunt & reflorescunt. Ad eò ut verissimè id Sol sit mundo, quod homini *μικροκόσμος* Cor. comparatur cum spon-*

sponso, quia stellarum est pulcherrima, terramque fecundat & imprægnaticum heroë, quia vis ejus est penetrantissima.

VII.

Ex v. 6. Qui Solem orbi suo infixum ab astantibus intelligentiis rapi fabulantur, contradicunt huic Psalmo, qui testatur, Solem prodire ex loco in locum, & decurrere viam suam. Motus ergo Solis æquè naturalis est, atque omnium aliorum corporum. Ut lapis pro naturâ fertur deorsum ad centrum: ita Sol pro formâ & naturâ propriâ movetur in orbem suum.

VIII.

Ex v. 8. Sacra scriptura est perfecta. Quare peccant illi, qui Decalogum & Cœnam Domini truncant; qui traditiones suas verbo Dei assuunt, qui signa federis fictitiis suis ceremoniis conspurcant.

IX.

Ex eodem v. Deus ex libro naturæ cognoscitur, sed imperfectè ex Scriptura verò, quæ perfecta est, perfectiùs.

X.

Ex eodem v. Qui cupit esse perfectus, verbum Dei meditetur. Nam per id solum perficit nos Spiritus sanctus, 2. Tim. 3. v. 17.

XI.

Ex eodem v. Scriptura est verax, Joh. 17. v. 17. *Verbum tuum veritas est.* Ergo extra Scripturam ne quæramus veram religionem. Hæc in concionibus, disputationibus &c. sit unicum fidei & religionis principium. Sine Scriptura loqui erubescamus, Actor. 26. v. 22.

XII.

Ex eodem v. Restituens animam. Verbum Dei est organum Spiritus sancti, quo utitur in imagine Dei in nobis restaurandâ. Ergo illud sedulò audiamus, meditemur & ipsâ vitâ exprimamus, Tit. 1. v. 10.

XIII.

Ex eodem v. Sapientiam affert fatuo seu imperito, & v. 9. illustrat oculos nostros, nempe ut Deum agnoscamus. Naturâ sumus hebetes, rudes, stulti; verbum Dei hunc animi morbum curat, Matth. 11. v. 25.

XIV.

Ex v. 9. Mandata Domini sunt recta, pura. Facebant hinc impuri isti nebulones, in reprobam mentem traditi, (Rom. 1. v. 28.) qui ἀνατροφία, hoc est, Regum cædes, prodiones, patricidia, fidei hæreticis (ut lo-

quantur) datæ violationem probant, laudant, suadent. Qui sub specie religionis, sicarios armare solent & animare, ut regum & principum jugulos petant. De hisce proditoribus, sicariis & paricidis sic loquitur scriptura: *Ab improbis egreditur impietas*, 1. Sam. 24. v. 36. *Ex fructibus eorum agnosceris eos*, Matth. 7. v. 20.

XV.

Ex eodem v. Scriptura verâ latitiâ nos afficit. Hinc petitur solida consolatio in vita & morte, Rom. 15. Hæc in ipso mortis agone, & tentationibus Satanæ, ubi ab omnibus rebus terrenis deserimus, nos non destituit. Sola enim docet rationem consequendi vitam æternam, per mortem ipsius Filii Dei. Johan. 20. v. 21. 1. Cor. 15. v. 21. 22.

XVI.

Ex v. 10. Timor & reverentia Dei ex Scripturæ meditatione oritur. Qui Deum agnoscit omnipotentem & omniscium, osorem & ultorem omnium peccatorum, à quavis abhorret turpitudine. Timor hic est præcipuum frænnum, quo Deus pias animas in officio retinet, Jer. 32. v. 40. *Reverentiam mei indam animo ipsorum*, ait Deus, *ut non recedant à me.*

XVII.

Ex eodem v. Reverentia Domini durat in æternum: cætera omnia sunt vana. Confer Eccles. 12. v. 15.

XVIII.

Ex v. 11. Divitiæ & deliciæ hujus mundi collatæ cum verbo Dei sunt ipsa vanitas, & ut Apostolus loquitur, mera *σὺβαλα*, Philip. 3. v. 8. Quare gratis animis agnoscamus felicitatem nostram, Deoque pro ea gratias agamus, Psal. 1. v. 2.

XIX.

Ex v. 12. Nunquam verbum Dei frustra docetur, Esa. 55. v. 10. Spiritus sanctus scopo suo non frustratur, Psal. 33. v. 9.

XX.

Ex eodem v. Ex sola Scriptura homo agnoscit seipsum. Delapsu, mediatore, & judicio extremo homo *ψυχικός* planè nihil intelligit, Act. 24. v. 25. & 26. v. 24. 2. Pet. 3. v. 6. & c. Divina sapientiâ illi videtur stultitia; (1. Cor. 2. v. 14.) quia ipse naturâ est stultus.

XXI.

Ex eodem v. Qui Deum timet, merces hujus erit ampla: Genes. 15. ver. 1. Hunc Deus obsepit, Job 1. ver. 10. juxta illud Matth. 6. ver. 33.

Qua-

Quærite primò regnum Dei, & justitiam ejus, & ista omnia adjicientur vobis.

XXII.

Ex v. 13. Plura sunt peccata nostra, quàm ipsi novimus. Homo impietatem, ut spongia aquam, imbibit, Job 15. v. 16. & ut plumbum naturâ inferiora petit: ita quoque homo terrenus est, ideoque in hac vitâ terrena sapit & facit, Sir. 20. v. 17.

XXIII.

Ex v. 14. Naturâ omnes refractarii sumus & superbi. Quare oremus Deum, ut per Spiritum S. sui cognitione nos donet, & innatam hanc ferociam edomet. Quisquis Deum cognoscit & seipsum, sub potenti ejus manu se impotentem & miserum humiliat, Dan. 4. v. 37.

XXIV.

Ex eod. v. Peccatum aliud regnans est, aliud non-regnans. Hoc est in renatis: illud in non-renatis. Spiritus S. vires peccati originalis in renatis enervat, ita ne illud regnet in mortalibus membris nostris, Rom. 6. v. 12. Enervat verò illud docendo, regendo, castigando.

XXV.

Ex v. 15. Precatio est sermo oris, profectus ex pia meditatione cordis, meditantis nimirum atq; expetentis ea, quæ ad Dei rectè cogniti gloriam spectant.

XXVI.

Ex eodem v. Meditatio cordis nostri est coram facie Dei *καρδιο-γνώσις*. Hic gemitus nostros audit, & nos certò liberabit ab omni miseria. Confer Exod. 14. v. 15.

XXVII.

Ex eodem v. Omnis fiducia in solo Deo est collocanda. Hic solus electorum suorum rupes est, & asyllum tutissimum, Psalm. 18. Jerem. 17. v. 5. Esai. 49. v. 5.

*Cui soli sit omnis laus & gloria,
Amen.*

VERE SUO PHILIPPO TEXTORI
ACCINIT

Johan. Henricus Alstedius affinis.

Jucundissime mi PHILIPPE, ludum
Quisquis indugredi cupit, libello
Instructus fiet; at fiet libello
Instructus, Schola quem, Scholarcha quemq;
Præscribat, probet, ingent imbecilli
Vires qui haut superet. Libellus ille
Bellus, clara schola hac, Scholarcha prudens,
Et Scholasticus hic bonus libellum hunc
Qui volvit, Scholam & hancce qui frequentat,
Et paret monitis sui Scholarcha.
Jucundissime mi PHILIPPE, cuncti,
Cuncti, quotquot in orbe Christiani
Sunt, sunt discipuli Dei potentis.
Hic est ille Professor, ille Doctor,
Cujus Chrificola Scholam frequentant,
Sed non segniter, at satis frequenter.
Itcirò decet hosce Christianos,
Hunc, quem caelicus imperat Scholarcha,
Librum volvere, non sibi libellos
Fingere ingenio & suopte ductu.
Esse autem triplicem puto libellum,
Quem proponit Iova Christianis.
Naturæ liber est, liberq; sacra
Scriptura, liber estq; visionis,
Gloriæ liber superna in aula.
En treis hosce libros, Scholasq; cerne,
Jucundissime mi PHILIPPE! Librum
Naturæ lege, volve; Gratiæq;
Librum, Psalmographi enther secutus

Ductum,

6
Ductum, utramq; Scholam frequenter eja
Noctes atq; dies, rogo, frequenta:
Ut tandem patriam in Scholam receptus
Possis volvere tertium libellum
Gloria. Decet has Scholas adire,
Hic audire decet Deam Scholarcham,
Qui dedit triplicem hanc Scholam & libellum;
Si volves igitur duos priores
Libros, crede Deo, ultimumq; librum,
Fucundissime mi PHILIPPE, volves!



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Fragment of text from the adjacent page, including the words "OR" and "Georg".

TEXT

ffinis

ing

lent

ent

;



4

us

llum;



6

